Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26147
Copyright: Admont, Benediktinerstift

usque ad septimam generationem observare. Nam et hereditas rerum per legalium instrumentorum diffinitiones sancita usque ad septimum gradum hereditatum protendit successionem. Non enim eis succederent, nisi de propagine cognationis deberentur. His auctoritatibus insinuatur et quousque sit affinitas et usque ad quotum gradum sit observanda, scilicet usque ad septimum.

Variae editiones de affinitate.

cc. xxvi. Sed alii videntur concedere in quinta generatione iam affines coniungi, et in quarta, si coniuncti fuerint, non separari. Ait enim Fabianus papa:

Fabianus papa. De propinquis qui ad affinitatem per virum et uxorem veniunt, defuncta uxore vel viro, in quinta generatione iungantur; in quarta, si inventi fuerint, non separentur. In tertia autem propinquitate non licet uxorem alterius accipere post obitum eius. Similiter vir iungatur in matrimonio eius quae consanguinea sua et uxoris suae consanguinea fuit post mortem uxoris. Ecce hic concedit in quinta vel quarta propinquitate affinium fieri coniugium.

Iulius. Iulius etiam papa ait: Statutum est ut relictam patris uxoris suae, relictam fratris uxoris suae, relictam filii uxoris suae nemo in matrimonium sumat; et relictam uxorem consanguineorum uxoris suae usque in quartam progeniem nemo in uxorem ducat. In quarta vero et quinta si inventi fuerint, non separentur. Ecce quam varie de affinitatis observatione locuti sunt auctores. Alii enim usque ad septimum gradum eam observari sanciunt; alii vero in quinta vel quarta matrimonia contracta non dividunt. Sed illi virtutis rigorem, isti misericordiae dispensationem videntur proponere. Potest enim ecclesia dispensare in copula fidelium usque ad quartum gradum, sicut Gregorius dispensavit in quarto gradu consanguinitatis. Illud etiam praeter eundem non est quod Gregorius Ingerio episcopo scribit: Sedes apostolica consulta decrevit ut si mulier copula nuptiali extraneo viro coniuncta cognationi eius pertineat, si eo defuncto cognatio maneat, vel si sub alio viro cognationis vocabula dissolvantur, vel si susceptae soboles possint